155

153

159

149

164

144

204

104

254

054

magna pro parte cinctam, pro alia parte hortis et pomeriis amoenissimis circumdatam, in quibus stabant tam altae palmarum arbores et multae ac si esset nemus arborum pinorum, nam terra juxta Alexandriam singularis foecunditatis est ex Nili beneficio et abundantia omnium rerum, quibus humana vita sustentatur, est ibi in copia, ut patebit. In processu, cum jam urbi proximi essemus, conversi camelarii et asinarii cum indignatione traxerunt nos de camelis et asinis dicentes, esse contra jus illius nobilis urbis, quod Christianus eam ingrediatur in camelo, equo aut asino sedens. Gradiebamur ergo eam bestiis ad portam urbis nobis oppositam et propinquiorem, sed cum portarii nos vidissent, cum baculis et fustibus nobis occurrerunt, claudentes portam a tergo suo, dicentes, portam istam esse apertam incolis et notis Sarracenis et Machometi ministris et nullo modo canibus et Christicolis. Dixerunt ergo camelariis nostris, ut ducerent nos per gyrum super fossata ad aliam civitatis portam, in qua alieni homines examinantur et probantur, an digni sunt intromitti vel non. Gyravimus ergo per longum iter urbem cum anxietate et tristitia, scientes nos iterum vexandos et tribulandos. Quidam autem juvenes Sarraceni, qui ante primam portam simul ludos pueriles habuerunt, visis nobis dimiserunt ludum suum et post nos currentes cum clamore irrisivo lapides contra nos miserunt, quos dum etiam lapidibus repelleremus, cum fundibulis contra nos fortissime jactabant et ita nos vexabant, quod non ad pedes poteramus aspicere, sed in aërem, ad cavendum lapidum ictus. Insuper quidam super moenia civitatis currentes de muro clamabant contra nos, mittentes crebros lapides. Numquam (b) ita male fuimus hospitio recepti, sicut Alexandriae. Circuivimus per longum cum magna fatiga et in tanta defectione fuimus, quod vix amplius potuimus ambulare, confecti inedia et multipliciter tribulati. Tandem autem ad portam venimus magnam, altam, turribus et fortalitiis miro modo munitam, ferreos habentem vectes et quadruplicatum introitum de ostio ad ostium, et tam anterior porta quam interior erat ferrea, et pons intra duas portas supra fossam mobilis, qui poterat subtrahi. Porro ante portam stabat unus exactor cum fuste, qui solum de bestiis nostris exegit theloneum parvum, sine atrocitate, et nihil de nobis, reservans nos aliis. Soluto theloneo ingressi sumus primam portam per pontem cum quadam laetitia, putantes nos evasisse manus

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;